IN ANATOMICAS LECTIONES IN CELEBERRIMO S. MARIÆ NOVÆ NOSOCOMIO...

Digitized by Google

Digitized by Google

ANATOMIÆ LECTOR

EXCELLENTISSIMUS DOMINUS

PETRUS JOANNES MASSETANI.

PROSECTOR

D. DOMINICUS MASOTTI VALETUDINARIUS.

JUVENES INCISORES.

D. Franciſcus Giampieri
D. Petrus Benucci.
D. Joſeph Amerighi.
D. Aloyſius Stampini.
D. Angelus Nannoni.
D. Joſeph Strigelli.

D. Michael Angelus Magri.
D. Joſeph Salvini.
D. Joannes Philippus Ricci.
D. Octavius Fornarini.
D. Jo. Philippus Feducci.

SI quis ades noſtra Spectator in Urbe Theatri,
Mors ubi funereas exhibet atra vices,
Ne te decipiant diſſecta Cadavera, totque
Membra hominum variis dilacerata modis.

Digitized by Google

Non ſunt hęc quondam ſcelerati prandia Terei,
Neve Thjeſteas dixeris eſſe dapes.
Hic MASSETANUS *ſed enim compaginis artus*
Humanos verbis indicat, atque manu.
Tam facilè, ac ſcitè percurrens omnia, ut ipſum
Hippocratem credas, Pergameumve ſenem.
Corpora, qui ęgrorum tanta fovet arte, regitque,
Ut faciat Pylios vivere ſæpè dies.
Teſtis ego extremas vitæ deductus in horas
Percitus ardenti febris ab igne miſer.
Adfuit ille mihi, morbumque ab origine quærit,
Applicet ut medicas, ſollicitaſque manus.
Non ſecus ac Nili fontes tamen intima morbi
Cauſa latet, miſerũ pharmaca nulla juvant.
Paulatim ſed enim ſtudio, curaque medentis,
Jam peragit ſoliti vena tenoris iter.
Excutitur tandem languenti e corpore morbi
Atra lues, rediit rurſus amica ſalus.
O medicũ egregium, quẽ perficit ardua virtus,
Cujus in Orbe decus publica Fama refert!
Mille Sophos inter doctrina hic ſplẽdet, ut inter
Candida præfulgens Heſperus aſtra micat.

Sed

Sed ſatis; ipſe tuas renuis me dicere laudes;
Atque jubes meritis abſtinuiſſe tuis.
Fors erit, ut multo quondam Te carmine dicam,
Et pateat noſtrum quàm Tibi debet ebur.
Quid de MASOTTO, *quē clara Faventia nobis*
Huc miſit, Patriæ gloria prima ſuæ?
Hunc infirmorum ſtat apud cuſtodia turbæ,
Quem pietatis amor, juſtitiæque probat.
Hic mirè humanos ferro diſcriminat artus,
Omniaque arguta cuſpide membra ſecat.
Cerne alios doctis Juvenes aſſiſtere menſis,
Scindere ſolerti Corpora functa manu.
Pars in fruſta ſecant, pars dividit altera partes
Corporis, aſſiduè nobile fervet opus.
Qualiter Hybleis operoſæ alvearia circum
Exercentur Apes Sole tepente jugis.
Hæc herbas libat varias, hæc floribus hæret,
Colligit hæc dulces ſub ſua tecta favos.
Pars natos, nidoſque fovent, pars arte recentes
Excudunt ceras, grataque mella ferunt.
Ignavos aliæ fucos à ſede repellunt,
Exercet partes ſedula quæque ſuas.

Diverſæ diverſa gerunt, tamen omnibus unus
Et labor, & ſtudium, curaque mellis ineſt.
Sic operi inſiſtunt Juvenes, certantque labori,
Præſtat & ille magis, qui magis urget opus.
Cerne ut in appoſito rimentur corpore corpus,
Quæq; oculos fugiunt membra minora notĕt.
Hic totum ſtatuit detracta pelle Cadaver,
Unde omnis mira muſculus arte patet:
Hos propter quodcumq; libet ſuſtollere pondus
Corpori, & hos propter viſque, vigorq; datur.
Oſſibus hìc capitis cerebrum demõſtrat apertis,
Hæc animæ ſedes, ſpiritus intus agit,
Humida maſſa, albens, mẽbranis obſita trinis,
E quibus una pia eſt, altera dura parens.
Tertia, quæ ſimilis telæ, quam texit Arachnes,
Unde etiam ſimile eſt nomen adepta ſuum.
Corpus calloſum, varios ex ordine nervos,
Ventriculos, venas cernere cuique datur.
Plurimus hanc rivis circumfluit undiq; molem,
Qui modicis lentè permeat uſque cruor.
Hinc oculi ſpecies (opus ò mirabile ſummi
Numinis!) ecce tibi proſpicienda venit.

Cer-

Digitized by Google

Cernendæ hic tunicæ proprio cognomine dictæ,
Multiplices nervi, vaſa, liquorq; triplex.
Obvia præ cunctis prima eſt adnata, propinquas
Scilicet huic ſedes Iridis orbis habet.
Cornea pellucens, ſclerotica opaca videntur,
Altera ſubnigro tincta colore ſubit.
Uvea, quæ varios format convexa colores,
Panditur hinc viſus retina cauſa prior.
Quòdque in diverſas partes valet ille moveri,
Muſculi & adduntur, ſexque notare licet.
Tollere ſic oculi primus dat lumina ſurſum,
Hinc ad ſubjectam deprimit alter humum.
Tertius adducens introrſus ducit, & inde
In latera abducens exteriora trahit.
Angulum ad externum obliquus deducit in orbē,
Ut Trochlea internè ſextus at inde rotat.
Nervorum ſeriem forſan, nomenque requiris,
Quos natura oculo provida habere dedit?
Opticus eſt primus, motorius alter, at illum
Ad cerebrum ſpecies mittere nempe ferunt.
Alter at ingreditur, necnon procedit in omnem
Muſculū, & inde modū, quo moveatur habet.

Vi-

Digitized by Google

Vitreus, atq; aqueus ſequitur, criſtallinus humor,
Omnia quæ gemino juncta ſub orbe latent.
Separat ille aurem, cui tympana, malleus, incus,
Et cochlea, & ſtapes, nec labyrinthus abeſt.
Naris odoratas auras, guſtumque palatum
Hauriat, ut voces, verbaque lingua ferat
Monſtrat hic, ut capiat contritas dentibus eſcas
Ventriculus, per quas vita alimenta capit.
Inteſtinorum ſinuoſa volumina, per quæ
Excrementa fluunt, egeriturque cibus.
Viſcera ut omenti madeant pinguedine, vitæ
Spiritus unde capit liberioris iter.
Septum tranſverſum medium diſcernit ab imo
Ventrem, ſicque rei nomen, & omen habet.
Hic videt ut jecori bilis purganda ſuperſit,
Ille uterum, atque uteri viſcera cæca notat.
Quaque prius noſtrum matris formetur in alvo
Oſtendit corpus parte, caloris ope.
Utque fluat, refluatque cruor de corde requirit,
Ipſius, & curſum ſanguinis, atque vias.
Sic mare nunc recipit fluctus, nunc reddit, eaſdē
Gurgite continuo fundit, & haurit aquas.

Æn.

Æmulus ætherei motus ſuſdeque movetur,
Circuit, atque artus irrequietus obit.
Sic & Meander toties ludente recurſu
Turbidus intortis perfluit amnis aquis.
Quærit hìc ut fiant alimenta ſimillima primùm
Lacti, quæ ſenſim ſanguine tincta rubent.
Quodque magis ſtupeas, oculis impervius ipſis
Nec bene adhuc doctis notus in arte viris
Hic facile inventus Ductus thoracicus, unde
Eximium Juvenes promeruere decus.
Ut coeat ſemper pulmo, pandatur & idem,
Unde trahit vitæ ſpiritus uſque moras.
Sic & flamma ſolet fabrili ardere camino
Auras cum follis datque, capitque novas.
Oſſaque lamellis paſſim compacta rigeſcant,
Mollia, quæ in tenero corpore nuper erant
Indicat hic ſcapulas, ramoſaque brachia late,
Cum radiis coſtas, ilia, crura, pedes.
Hinc ſolidæ apparent partes, arteria, venæ,
Pinguedo, fibræ, glandula, tendo, cutis.
Parte alia fluidæ, chilus cum ſanguine, ſudor,
Et cum lacte ſerum, lympha, ſaliva, liquor.

Sic

Digitized by Google

Sic hominis ſecreta datur penetralia noſſe,
Quidquid & exterius, quidquid & intus habet.
Provida Divinæ ſic dextera cernitur artis,
Totaque per partes machina noſtra patet.
Quod ſi non artus, non ſingula viſcera verſu,
Membra nec invenies cuncta notata meo.
Lex pedis officio, fortunaque nominis obſtat,
Quaque meos adeant eſt via nulla modos.
Adde quod & medica non ſum verſatus in arte,
Et non ſunt gracili tanta canenda lyra.
Interea Juvenes ſtudiis inſiſtite veſtris,
Per vos ſint vivis mortua membra ſalus.
Et ſi certus amor partes cognoſſe repoſtas,
Abditaque humani corporis exta, manet.
En MASSETANO *vigiles aſſiſtite veſtro,*
Dum reperit Medicos quæ latuere ſenes.
Sic homini per vos longevæ munera vitæ
Donari dabitur, nec niſi ſero mori.
Non ego vana cano, ſed mens prænuncia veri
Indiciis certis fata futura refert.
Nam ſi clara Jovis jamdudum fama Nepotem
Stellatas Superum vexit ad uſque domos.

Hæc

Digitized by Google

Hęc eadem quondam celebres vos tollet ad aſtra,
Et veſtrum vivet ſemper in Orbe decus.
Sic aget æquales aliis vos gloria, quorum
Externas nomen fertur ad uſque plagas.
Vos [1]*Mediolanum,* [2]*Senę,* [3]*Florentia,* [4]*Piſæ,*
Necnon Italici plurima regna ſoli.
Quid MASSETANI *valeant ſenſiſtis Alumni,*
Per quos eſt veſtris civibus orta ſalus.
Unde manu, doctaq; ſimul ſibi mente repertũ eſt
Quâ mortem fallant, effugiantque via.
Sic laudes fructus virtus operoſa meretur,
Sic ſua jure labor præmia doctus habet.
Sed jam Muſa ſile, & totum ſcrutata Cadaver,
Scilicet in nobis eſſe fatere Deum.
Et corpus debere tuum taciturna memento,
Nobile ſit quamvis hoc aliquando mori.

F I N I S.

1. Bernardinus Moſcati Mediolani
2. Jacobus Berti Senis
3. Dominicus Maſotti Florentiæ
4. Antonius Paſquinucci olim Piſis; Valentinus del Turco Piſis

] Anatom. Profeſſ. & D. Maſſetani Alumni.

99 336821

Digitized by Google